



**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola XV. III[ustrissi]mo Et Rev[erendissi]mo Principi D. Ivlio Episcopo  
Herbipolensi, Franconiæ Duci, &c. Ivstvs Baronivs Veteracastrensis S P. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

EPISTOLA XV.

ILL<sup>mo</sup> ET REV<sup>mo</sup> PRINCIP<sup>I</sup>.  
D: IULIO Episcopo Herbipolensi, Fran-  
coniax Duci, &c.

IVSTVS BARONIVS VETE-  
racastrensis S.P.D.

Vix dum nuper ex Vrbe domum reuer-  
sus, ill<sup>me</sup> & Rev<sup>me</sup> Princeps, quieti me  
dare, atque abstergendis aliquantulum iti-  
neris molestijs vacare: id est leuare animū,  
sarcire vires cogitabam: cū ecce amici missa  
ad me petulantissima ac mordacissima Ae-  
gidij Hunnij, noui, si dijs placet, in Saxonia  
Iubilarij facialis, seculari declamatione, ro-  
gant obrestanturque, desperatæ hominis  
maledicentiax occurram, machinisque ad-  
motis calumniarum tela infringere, men-  
dacionum valla subruere annitar. Renuo,  
excusoq; primum lassitudinem, deinde nū-  
dinarum tempus propè instans: tertio æta-  
tem meam ac tyrocinium, nominoque qui  
rectius hanc Spartam videantur ornaturi.  
Abnuunt, instant, persuadentque tandem,  
promittam, facturum quod possem. Adij-  
cio animum, apto calamum, scribo festinata  
magis quam deliberata opera. Prodit tan-  
dem libellus, atque in hostem gladium vi-  
brat. Ille priusquam mucro meus ad latus

Y 3      eius

ei⁹ pertingeret, concidit, atque infelicem animam exhalat, non stylo meo, sed numinis vi percussus. Hic ego reuocare libellum, si possem. Sed exiuerat iam ultra limen nostrum, atq; in manus plurimorum peruenerat. Sino igitur ire, ac quem viuum nō poterat, eius mortui manes infestare Iubeo. Venit is nunc etiam ad te III<sup>me</sup> Princeps, nō quod quisquam tuorum hoc pharmaco indigeat; absit, perpurgasti satis arua tua, euulsisti diligentissimè lolia illa, & lappas, & tribulos, & vrticas, & si quid amplius huius senticeti est: sed quod tibi fidem meam in Deum, studium in Ecclesiam, gratitudinem in benemeritos probare cupio. Quib⁹ quā recte non solum te accenseam, sed inter nobilia etiam capita constituam, norunt iij, qui nuper oculati tuæ in me reducem comitatis, tuæ liberalitatis & hospitalitatis testes fuerūt. Sine per Deum\* Macedonem illum PHILIPPVM meminerim, qui cum Philoni Thebano, cuius obses Thebis hospitio vsus, beneficentiaque cumulatus erat, varia munera mitteret, illeque nullum admitteret: noli inquit, opinionem iniusti admires mihi, dum beneficiendo & demerendo te reddar inferior. Si quid simile à te metuerem, III<sup>me</sup> Princeps, simile responsorum darē, nō quod magnitudine tecum contendere velim (qui enim ita insaniam?) sed quod grati-

\*Plutarch.  
in Apoph.

tudine cum beneficijs tuis certare. Vale, te-  
nuemq; meam opellam non veteranorum  
lacertis, sed anniculorum tyrunculorum  
viriculis admetire. Mogunt. 12. Calend. O-  
ctob. M. DCIII.

## EPISTOLA XVI.

IVLIVS DEI GRATIA EPI-  
scopus Wirceburgensis & Fran-  
coniae Dux, &c.

IVSTO BARONIO VETERA-  
castrensi S.

**T**VAM aduersus Hunnum Witteber-  
gensis Pseudo Lubilai promulgatorem,  
concertationem litterariam, recte accepi-  
mus. Peritè & animosè iugulum ipsius pe-  
tiuisti, feliciter eundem confodisti. Ictum  
licet ipse defunctus, & longiori vita mini-  
mè dignus haud sentiat, sentiunt tamen,  
quotquot delira ipsius placita sectantur,  
eumque tanquam fulgentissimam Euange-  
gelij & purioris doctrinæ facem prædicant.  
Breui opusculo, & paucis vigilijs multa que  
ad Catholicæ Ecclesiæ famâ illustrandâ, mul-  
ta quæ ad dogmata fidei cōfirmâda spectât,  
egregiè præstitisti, non vt nouitius, sed ve-  
teranus & exercitatissimus in castris Ca-  
tholicorum miles. In confutandis & ex-  
pugnandi aduersarijs nostris, vt dimicare

Y 4      pergas